



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Annvs Diervm Illvstrivm Societatis Iesv. siue in Anni dies  
digestæ Mortes Illvstres Eorum qui ex eadem Soc. Iesu, in  
odium fidei, pietatis, &c. ... confecti sunt**

**Nádasi, János**

**Romæ, 1657**

P. Petrus Mascarenia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44029**

re & Cadurcensis Episcopa-  
tus infulam sibi oblatam, de-  
missè à suo capite auertit,  
vir quàm excelsus ad vindi-  
cias Catholicæ fidei vbique  
facièdas, tam humilis; adeò-  
que ingentes Tolosanæ vr-  
bis laudes, lachrymasque,  
quibus extinctum prosequen-  
bantur, abundè commeritus  
tantâ illâ suâ eloquentiæ,  
laborum, charitatis, atque  
angusti ad ardua contra he-  
terodoxos pro Catholicis  
agenda & ferenda pectoris  
granditate. Certè vel ge-  
mino illo elogio fuit insi-  
gnitè commemorabilis, quo-  
rum altero S. *MARIAE Do-* *B. V.*  
*ctor* passim in Gallia; altero *Superior.*  
*Sanctus Rector* à S. P. Ignatio,  
vt fama est, audiebat.

*P. Petrus Mascarenia.*

Hunc hoc die veneno ab

A 2 Ethni-

4 *Anni dierum illustrium*

*Lusitanus.*  
*in Regno*  
*Manadæ.*  
*7. Ianuar.*  
*1583.*

*Fides pro-*  
*pagata.*

Ethnicis propinato interne-  
ctum affirmat Index eorum  
qui in Christi odium è vita  
sublati sunt. Salseranos pa-  
gos sexaginta sex primus  
excoluit. Apud Ternaten-  
ses templum condidit: apud  
Selebes Moluco vicinios,  
Sionium & Manadium Re-  
gulos, Regem item Sāgium,  
Reginam, Proceres plures  
quà ibi, quà alibi, Christi  
vexillo subiecit. Ad necem  
quæsitus à barbaris Euange-  
lio infensis, per octo dies in  
silua latuit, herbisque victi-  
tauit. Aliàs ab ijsdem in-  
dagine cinctus, mirè tamen  
per montem se ac prærupta,  
deuoluens euasit. Aiunt il-  
lum, cum haud indiligenter  
quæreretur, ab ijs repertum,  
& visum: sed illi feram esse  
rati, non hominem quem in-  
da-

dagabant, eum innoxium  
omisere: nec deest qui illos  
fugisse affirmet. Fœminam  
ab alui profluio, acerrimis-  
que doloribus, adeoque à  
vitæ discrimine, liberauit  
confestim ac Euangelium  
ritè super eam recitauit, ora-  
tione adiectâ. Virum bien-  
nio paralyticum, lectoque  
affixum eodem Euangelij  
ac orationis alexipharmaco  
persanauit. Illud verò sibi  
longè tenerrimo fuisse sola-  
tio affirmauit, quòd cum è  
monte subiectum pagum  
non sinè commiseratione  
(quippe à Dei veri cultu  
alienum) aspiceret, repen-  
tè pueri vocem è valle sese  
efferentem audiuerit, dicen-  
tis: *In nomine Patris, & Fi-  
lij, & Spiritus Sancti.* quâ vo-  
ce ad agendum & patien-

*Oratio.*

*SSS. Tri-  
nitas.*

6 *Anni dierum illustrium*

dum summa omnia maximoperè exarsit, in loco illo horroris laudem SSS. TRINITATIS perfici dulcissimè gratulatus.

*Ambrosius Fernandez. Coad.*

*Lusitan<sup>o</sup>.  
obijt in  
carcere  
Omura  
7. Ianuar.  
1620.  
etat. 69.*

E milite ac mercatore Societatis religiosus factus in Sinis, demissione ac pietate omnibus charus fuit.

*Paupertas.*

Nunquam verbo minùs amabili aut perturbato vllum alloqui est auditus. Illis utebatur quæ alij suo vsu attriuerant: vnde per ipsos triginta annos nunquam nouum quicquam quo indueretur admisit; vino quoque ac bellarijs nunquam vsus, nisi id facere iuberetur. Hunc inter labores Evangelicos in Iaponia martyrium sitientem, & expectantem in carcere Iaponico per

an-